

Religiosum ejusdem Ordinis et, ubi hic desit, Sacerdotem sive sacerdotalem, sive regularem, qui personarum ad novam Sodalitatem pertinere cupientium catalogum conficiat, atque custodiat. Idem possunt Provinciales nisi auctoritas Ministri Generalis obstat, intra limites propriæ Provinciæ, et etiam Superiores locales, dependenter tamen a Ministro Provinciali.

VI. Ad Directorem spectat nominare zalatores et zelatrices qui vel quæ personas inscribendas prudenter quærant, eidemque Directori proponant.

VII. Ad exercitium Væ Crucis viventis rite peragendum, et ad Indulgentias eidem adnexas lucrandas, requiritur meditatio Stationis unicuique per sortem adsignatæ, et recitatio trium Pater, Ave et Gloria, manu tenendo Crucifixum ex materia solida confectum, et ad hoc benedictum sive a Ministro Generali, sive a Ministro Provinciali in respectiva Provincia, vel a Superiori locali, aut etiam ab ipso Directore, vel alio Sacerdote a Ministro Generali delegato.

*Index Indulgentiarum Sodalitatibus Viae Crucis Viventis tributarum.*

Omnes christifideles ab aliquo Directore in Sodalitatem admissi, sequentes Indulgentias lucrari possunt :

I. Primo die festæ postquam sodalitatem adiverint plenariam indulgentiam, si eodem die, vere poenitentes, confessi, S. Synaxim susceperint.